



CAELII AVRELI-

ANI SICCENSIS IN V LI

BROS CHRONION PRAE=

FATIO.



PR A E S C R I P T I S celerum passionū libris, tardarum placet curationes ordinare, quæ solo suprapositionis tempore superioribus similes, in lenimento uero uaria recombinatione formantur, & peritis medicinæ claræ aternâq; gloriam quarunt. Celeres enim, uel acutæ passionibus etiâ sponte soluantur, & nunc fortuna, nunc natura fauente. Quofit ut ignari homines elati saepe medicos fugiant, cum hos

prouētus incantationibus nouis ac ligamētis adscribant, aut fortunæ, cum quoties repentino nuntio læti aut territi ægrotantes, mutatione quadâ corporis morbos excludunt, uel ea per intemperantiâ gerunt, quæ ratione occulta sibi profutura nescientes, duce desperatione committunt: In utrunq; enim faciles celeres passionibus accipimus: Pelluntur enim aut fluore sudoris, aut sanguinis per nares, aut uentris. Chroniæ autē uel tardæ passionibus morbi, qui iam præiudicio quodam corpora possederint, solius medici peritiam poscunt, cum neq; natura, neq; fortuna soluantur. Podagrâ deniq; uel phthisin, aut elephantiâsin, uel similes tarditate passionibus resolui nulli sectarū principes meminerunt, sicut saepe febres acutæ soluantur. Hinc deniq; Græci A S C L E P I V M nomen sumpfisse

dixerūt, quod dura curando primus superauerit uitia. Scribentium igitur medicinam nullus ante Themisonem tardarum passionū curationes principaliter ordinauit. Alij uero has omnino tacuerunt, tanquam impossibiles iudicantes, uel incurabilium passionum: Alij Alyptarum officio transmittendas crediderūt: Alij disperse atque de alijs passionibus scribentes, ut podagra, sanguinis fluore, hydropismo, paralyti, alopecia, uel quartanis typis, ut Erasistratus & Asclepiades. Themison autem tardarum passionum III libros scripsit.

Item Thessalus secundo libro Regulari earū curationem ordinauit. Dehinc Soranus plenissime cunctarum diligentiam tradidit, atq; speciale corpus scripturæ formauit, de passione capitis initia sumēs, quod nos quoque faciendum assumimus.

Aesclepius un= de nomen in= uenerit.
Themison.
Alyptæ.
Erasistratus.
Asclepiades.
Thessalus.
Soranus.

A

C A E L I I